Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2695
Quelle:
Copyright:

plici persecutione alios bonos christianos, quod patet ad oculum intuentibus per totam bohemiam. Stetisse vero pro Utraque Specie, ex iis *fol.* 120. p. 2. *Non dixit* (Paulus) *probet se sacerdos homo, sed indifferenter homo, et postea laudat eos* (Corinthios) *in hoc, quod tradicionem christi ihesu tenent, scilicet quod sub utraque suscipiunt.*

DCCXXXIII.

581 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 181. 4. a Variis conscriptus et consarcinatus utplurimum Themata sive Σκελετα sacrarum Dictionum pro diversis per annum festis Diebus complectitur; quae tamen alia iis admixta sunt, hic indicantur. Ita initium faciunt *Lectiones* pro Officio Assumptionis, Nativitatis et Praesentationis B. V. M. S. *Hieronymi*, et S. *Wenceslai Bohemiae* Patroni, quae postremae incipiunt: *Inclitam et gloriosam festiuitatem summi et egregij principis boemie gentis* &c. et habentur in *Breviario Pragensi* edito *Norimb. per Georg. Stuchs 1502. f.* in diem ipsum festum et ejus Octavam distributae; omissae tamen ibi sunt Tres ultimae, quibus fata cujusdam *Podiwen* seu *Podivini*, qui *Wenceslai* caedem ultus erat, enarrantur in *Codice*, depromtae e Vita S. *Wenceslai* a *Christanno* scripta.

Fol. 33. p. 2. Descriptio Signorum *Zodiaci* e media Astrologia petita, indicata singulorum natura et potestate. Initium ducitur a Cancro: *Cancer est signum humidum et frigidum. femineum nocturnum et est domus lune* &c. Nugae!

Fol. 108. Hymni quidam Ecclesiastici, puta: *Ex more docti mystico* &c. *Christe qui Lux es et Dies* &c. *Audi benigne Conditor* &c. *Jesu quadragenarie* &c. cum glossa inter lineas et in marginibus.

Fol. 127. Rhythmi duo, prior ad Christum brevior hoc initio:

O Rex pater gentium celi triumphator
Cunctorum gemencium pius consolator &c.

Alter prolixus ad Deiparam:

Te deuote colimus matrem saluatoris
Et corde deposcimus natam redemptoris &c.

Fol. 130. *Liber occultus.* Ita inscribitur Poema de Vita et studiis cujusdam *Henrici*, quod incipit:

Carminis auditor lectorue quod edis (edere?) *nitor*
Vnius ob merita persone &c.

De